UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Tractatus Theologico-Moralis De Sacris Ecclesiasticorum Ministeriis, Hoc est, De Horis Canonicis, & Missæ Sacrificio

**Biesmann, Caspar**

**Coloniæ Agrippinæ, Anno 1695.**

Caput XV. In quibus casibus licitum est, non jejuno communicare.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42206

Visual Library

## CAPUT XV.

*In quibus casibus licitum est, non jejuno communicare.*

NOn jejunus poterit communicare in sequentibus casibus. Primò, In periculo mortis, ídque probabili, sive mors immineat ex morbo, judicis sententia, navigatione, prælio, &c. si nimirum justè timeatur, ne infirmus sine sacra Communione extinguatur, si illam negligat non jejunus. Vid. *Dicastillo Euch disput. 9. n. 34.* & alios. Imò poterit ob idem periculum post sex vel septẽ dies iterum communicare non jejunus: Et si assuevit frequenter communicare, propter devotionẽ ac desiderium alterâ statim die, non jejuno communicare licebit; Dummodo mortis periculum instare videatur. Cæterùm ut Sacerdos in mortis articulo sine scrupulo infirmum non jejunum communicet, sufficiet ipsi, si prudenter & probabilter timeatur infirmo mors imminere; nam si oporteret indubitatum periculum vel certi-

Quid in probabili mortis periculo.

tudinem expectare; sæpè accideret, ut multi sine Viatico morerentur; Sufficit ergò, si medicus aut illo deficiente, vir unus, alterve, aut fœmina prudens probabile putent, ægrum ex morbo moriturum sine Viatico, nisi nunc non jejuno detur. Undè, si Parochi vocentur ad ægros distantes duabus horis, possunt eis præbere Viaticum non jejunis si periculosè ægrotent; nec tenentur expectare in crastinum; etsi probabile sit, posse infirmum in crastinum non incommodè permanere jejunum, usque ad reditum Pastoris. Quia multa de nocte interveniunt, præsertim periculosè ægrotantibus; & fieri potest, ut sequenti die Parochus aliis negotiis graviter impediatur. Universim cavendum est Parocho, ne infirmo periculosè ægrotanti, quoad jejunium, notabilem molestiam pariat; si enim infirmus commodè jejunus manere non potest, communicet infirmum non jejunum v.g. si infirmus sine magna sua difficultate non potest manere de nocte jejunus à potu usque ad quartam vel quintam matutinam, esto possit fortasse una alteráve hora post mediam

Estne infirmo periculosè ægrotanti quoad jejunium, notabilis creanda molestia.

mediam noctem talis manere, non est expectanda illa hora, utpotè nimis incommoda. Neque enim est mens Ecclesiæ tanquam benignæ matris, cum tam gravi difficultate, ad naturale jejunium obligare. Quod si commodè & sine periculo ab infirmo jejuno sacra Communio sumi potest, id utique faciendum erit. Vid. *Gob. tr.* 4. *cas.* 18. *Fill.* &c. Secundò, quando necesse est, Sacerdotem celebrare ad dandum Viaticum moribundo, eò quòd non adsint aliæ hostiæ consecratæ, quia præceptum de jejunio, non est tam rigidè latum ab Ecclesia, ut velit moriturum discedere sine Viatico. Vid. *Dian. p.* 5. *tr.* 30. *resol.* 35. *Escob.* &c. Alii tamen id probabiliter negant. Tertiò, quando Sacerdoti incumbit necessitas perficiendi Sacrificii. Quod accidit primò, si loco vini consecrati per errorem sumpsit aquã, quam nõ expuit, sed deglutiit ob periculum ejiciendi fragmentum hostiæ, quod à Sacerdote Calici immitti solet. In eo autem casu tenetur denuò consecrare; quod faciet statim offerendo, & consecrando Calicem, absque consecratione novæ hostiæ, ita enim

Quid in casu dandi Viatici moribundo.

Aut in necessitate perficiendi Sacrificium.

Ut si loco vini consecrati per errorem sumpsit aquam:

probabiliter plures AA. contra alios, qui juxta Rubricas volunt in eo casu novam pariter consecrari hostiam; verùm respondetur ad Rubricas, eas nõ per se esse præceptivas, sed tantum directivas. Vid. *Tamb. de Sacrif l. 2 c. 8. Lug.* &c.

Vel post consecrationem recordatur se non esse jejunum.

Secundò, quando Sacerdos post Consecrationem recordatur, se non esse jejunum, debet progredi in Sacrificio, etsi non adesset periculum infamiæ. *Laym. lib. 5. tr. 5 cap. 6.*

Quid si ante consecrationem id recordetur:

Imò si ante Consecrationem recordatur se non esse jejunum, & absque nota non potest recedere (quam rarò effugere solet) prosequatur Sacrificium. Idem est in laico communicante, qui stans ante mensam communicantium recordatur se non esse jejunum, si discedere non potest absque infamiæ nota, communicare poterit. *Tamb. in Meth. comm. cap. 2. §. 6. & 8.*

Aut post ablutionem reperit in patena vel corporali fragmentũ sui Sacrificii.

Tertiò, quando Sacerdos post sumptam ablutionem, etsi per horam Communionem distribuisset, in patena, aut corporali, fragmentum sui Sacrificii advertit, seu parvum seu magnum; potest illud, quamvis non jejunus sumere: quia ejusmodi reliquiarum absumptio refertur

ad

ad unum, idémque Sacrificium; quod absolutum esse non censetur, quamdiu Sacerdos in Altari persistit. Post recessum autem ab Altari nō licebit ei dictas particulas sumere; quia convivium Sacramentale jā est finitum, nisi fortè aliud suadeat reverentia. Præstat enim ea sumi à non jejuno, quā irreverenter quocunque loco asservari; ut si in illo loco plures Missæ non fierent, & Sacramentum ibidem asservari non soleret. Est quoque non improbabile, si advertat in Sacristia ejusmodi fragmentum, dum nondum vestes sacras exuit, id quoque à non jejuno accipi posse. Quia adhuc judicatur non absolvisse totaliter Sacrificium, quamdiu sacris vestibus non est spoliatus. Vid. *Dian. p. 5. tr. 14. resol. 45. Suar. Lugo* &c. Adeóque sumi per modum circumstantiæ & complementi ejusdem Communionis. Dixi licitum esse accipere fragmentum sui Sacrificii: nam fragmentum alieni non licet sumere probabiliter à non jejuno; nisi sit parvum. Jam enim probabile est, à non jejuno sumi posse; quia talia fragmenta facilè perduntur, & major erit reveren-

Eritne licitum sumere dictas particulas post recessum ab Altari.

Vel antequam vestes sacras exuerit.

Quid dicēdum de fragmentis alieni Sacrificii.

 veren-

verentia ſi ſumantur, quam ſi cum tali periculo in Sacrario conſerventur, vel alteri Sacerdoti ſacrificaturo dentur. Vid. *Tamb. Fagund. ll. mox citandis* : Hoc tamen ex communi ferè DD. ſententia non eſt dicendum de fragmentis magnis, etſi *Tamb. l. c. §. 8. ex Marchino* contrarium putet probabile, quam ſententiam non improbat *Quarti in Rubricas p. 2. tit. 10. ſect. 2. dub. 2. & 3.* citans pro ſe *Dian. Pal.* & alios : aítque ſibi videri probabilem , & in praxi tutam. Undè Sacerdos poterit ſine ſcrupulo Ciborium purificare , & ſumere reliquias illius , dum eſt in Altari , poſt ablutionem , ſi ante eam (quod utique faciendum erit) ex inadvertentia non purificaverit. Vid. *Fag. l. 3. præc. 1. c. 18. Henriq. Tamb.* &c. Ratio horum authorum eſt, quod reliquiæ conſecratæ ab alio Sacerdote, tanquam Miniſtro Chriſti, habeant relationem ad quemcunque Sacerdotem utpotè Miniſtrum Chriſti: & conſequenter dici poſſunt reliquiæ pertinentes ad quodvis Sacrificium à quocunque Sacerdote factum , cùm omnes reliquiæ contineant eundem Chriſtum , & ratione

Maximè ſi ſint magna.

omnium

omnium Sacerdotum propter eandem hostiam, quam offerunt nempe Christum, sit unum veluti specie Sacrificium. Licebit itaque reliquias tam tui, quàm alieni Sacrificii accipere, si eas post ablutionem primùm advertas. Nam si antè adverterentur, nemo dubitat, quin ante illam, & à jejuno sumendæ sint, cùm præceptum de jejunio sine rationabili causa violari non debeat. Vid. *Tamb. l. c.*

Porrò ne Sacerdos scrupulosè angatur circa particulas, quas fortè invenit in patena, dum suam hostiam offert, quæque videntur esse ex hostia prævie consecrata, (frequenter enim fit, ut cum angore Sacerdotum appareant hujusmodi particulæ speciem præferentes fragmenti hostiæ consecratæ, maximè quando plures eâdem patenâ usi sunt) ne inquam angatur, poterit præsumere, eas non esse consecratas, adeóque licitè à se abstergi posse. Siquidem prudenter præsumitur de Sacerdote Missam celebrante, eum debitam diligentiam in conquirendis particulis adhibuisse. Unde nisi prudens ratio occurrat dubitandi, & ex qua oppositum fiat probabile, securè

Quid faciet Sacerdos circa particulas in patena dubiè apparentes dum suam hostiam offert.

securè pro non consecratis habentur, & meritò reputantur furfures vel excrementa capitis, vel barbæ, vel quid simile. Prout etiam frustilla lini ex purificatorio, non raró post abstersionem patenæ adhærentia, speciem fragmenti præseferunt. Vid. *Quart. l. c. dub. 4.*

Quid in casu sacræ Hostiæ incendio comburendæ, aut ab hæreticis conculcandæ.

Quartò, Si sacra Eucharistia vel incendio foret comburenda, vel ab hæreticis cõculcanda, licitè sumetur à non jejuno etiam laico, si Sacerdos aut Clericus non adesset: Melius enim est, à non jejuno absumi, quàm talem permitti Sacramenti irreverentiam. Vid. *Laym tr. 4. c. 6. Suar. Tann.* &c.

Quid agendum circa particulam Hostiæ Calici immissã si cum vino consecrato non fuerit sumpta.

Quintò, Si Sacerdos advertat particulam Hostiæ Calici immissam se cum vino consecrato non ebibisse. In eo enim casu, vel potest digito dictam particulam ad labrum Calicis adducere, atque ita sumere, vel propter majorem decentiam (ut non pauci volunt) poterit cum vino purificationis illam sumere, tametsi semel aut bis aliud vinum infundendum foret. Vid. *De Lugo de Euch. d. 15. sect. 4.*

Quid licebit in periculo gravis scandali.

Sextò, si grave scandalum timeretur, nisi quis communicaret, aut Sacris operaretur. Vid.

*Prapo-*

*Præposit. in 3. p. q. 80. art. 8. dub. 2. Tamb. ll. cc.* Denique si celebrans post Consecrationem deficiat. Tunc enim tenetur alius, etsi non sit jejunus, si jejunus non adsit, Sacrificium perficere. *Laym. l. c.*

Aut deniq; si celebrans post consecrationem deficiat.

# CAPUT XVI.

## *Exponuntur rariora quædam circa S. Euch. notatu digna.*

AD horum omnium ulteriorem elucidationem ex supra notatis authoribus observ. Primò, quamvis non semel evenisse existimandum sit, non esse verè consecratam hostiam, quæ pro tali habebatur v. g. dum sacrificat is, qui non est Sacerdos ob defectum Baptismi; aut quando loco vini per errorem aqua infunditur Calici; non est tamen necesse, aut consultum, ut ad evitandam materialem idololatriam assuescas dicere: Adoro hanc hostiam, si est consecrata: adoro hoc, quod est in Calice, si est verè Sanguis Christi; quia quæ rarò eveniunt in agendis negotiis, non temerè computantur, id est, eorum nulla consideratio regu-

Rectène ad evitandam idololatriã materialem assuesces dicere: Adoro hanc Hostiam, si est consecrata.